

transmutari facile potest, eo quod vane glorie periculo subiaceat. Querit Nazianzenus, *Orat. xxvi*, cur supremus ille rerum omnium artifex, Deus, animam hominis adeo nobilem, factam ad imaginem et similitudinem suam, intra hunc luteum, sordidum et vermiculosum carcerem includere voluerit : « Haud equidem scio, » inquit, « quo pacto simul et imago Dei sim et cum cœno voluer; » tandem vero artificium hoc, suo non caruisse mysterio dicit, nimirum ideo id factum est, ut non intumescamus et extollamur, uti Lucifero accidit : « Hæc nostra temperatio est, ut cum imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eosdem reprimat, contrahatque. » Verum quidem est, quod thesaurum, id est, pretiosam nimis animam habeamus; ad vero simul a nobis ponderandum est, ubi thesaurus iste repositus sit; nimirum in vasis fictilibus, ideoque ad utilitatem hujus corporis reflectamus; sed, qua utilitate et fructu id a nobis fiet? *Ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis*; verum quidem est, quod, quidquid operamur boni, id totum animæ fructus censendum sit, sed animæ, a Dei gratia adjunctæ et ideo totum Deo, non vero nobis adscribendum venit; siquidem ex parte nostra præter cinerem nihil sumus. Chrysostomus querit, *Hom. xxxv in Matth.*, cur Creator hoc corpus nostrum, non ex solidiori et nobiliori materia formaverit et cur disposerit, ut subito post animæ ab eodem recessum, illud putrefieret? Et respondet, quod si Deus aliter fecisset, « magis ab hominibus corpora diligerentur; » adeoque cinis iste nobis ex pluribus capitibus auxiliatur, ut hunc animæ thesaurum majoris æstimemus, ipsumque in securum locum, id est, in cœlum reponere satagamus et consequenter ad hoc corpus nostrum, utpote maximum, quem habemus, inimicum nostrum aspernemur.

VERSUS 21.

Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

1. — Lucas Brugensis ait : « Cor pro affectibus

« cordis et animi ponitur; nam cor nostrum esse
« alieni, nihil aliud est, quam curam omnem
« nostram, cogitationem, gaudium, fiduciam, spem,
« metum, amorem, totum videlicet animum circa
« aliquid versari. » Si enim nos affectam, spem et
« omnes cogitationes in hæc res terrenas convertamus;
« clarum utique indicium est, quod et thesaurus
« noster in cœlo non sit. Auctor Imperfecti, *Hom. xv*,
« dicit : « Quod si collocat thesaurus in terra, non
« habet quod speret in cœlo, ut quid enim respiciat
« in cœlum, ubi nihil repositum habet. » Celeberrimum
« est miraculum istud, quod in vita S. Antonii
« de Padua, de quodam divite avaro defuncto, narratur.
« Cum enim Sanctus hic illo textu pro concione
« uteretur : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*,
« dixit ad circumstantes, auditores suos; ut dicti
« hujus veritatem experiamini, abite oculus ad divitis
« illius defuncti domum et armarium investigetis, in
« quo divitias suas habere solebat depositas, in hisque
« cor ejus appositum invenietis; id quod revera ita
« accidit; enimvero cor illud mundum appellari non
« potuit; siquidem S. Anselmus, *in Matth.*, ait : « Si
« cor est in cœlo, mundum est, quia munda sunt
« cœlestia; si autem in terra volutatur, quomodo
« mundum est? »

2. — S. Hieronymus super hæc verba scribens, monitum quoddam habet, huic presenti diei valde opportunum; etenim si affectus et cor nostrum, etiamnum voluptatibus et vanitatibus præteritis adhererent, manifestum id nobis signum esse poterit, quod non in cœlo sed in terra thesaurizemus; ita enim præfatus S. Doctor scribit : « Hæc non « solum de pecunia, sed et de cunctis passionibus « sentiendum est; gulosi Deus venter est, ibi ergo « habet cor, ubi est thesaurus; luxuriosi thesaurus « epulæ sunt, lascivi ludiera, amatoris libido; huic « servit unusquisque, quo vincitur. »

FERIA QUINTA CINERUM

LEGATUR EVANGELIUM CURRENS IN DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM

FERIA SEXTA POST CINERES

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. V, VERS. 43, ET CAP. VI, VERS. 1

43. Audistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.
44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.
45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.
46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et Publicani hoc faciunt?
47. Et si salutaveritis fratrem vestrum tantum, quid amplius facitis? nonne et Ethnicus hoc faciunt?
48. Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.
vi. 1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.
2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagoga et vicis, ut honorificentur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam.
3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.
4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

VERSUS 43.

Audistis, quia dictum est : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum.

1. — Hæc propositio in antiqua lege nuspiam reperitur. Unde S. Thomas, *in Matth.*, ait : « Istud « nusquam invenitur in lege, sed additio est ex parte « Judæorum. » Existimant quidem multi Scribæ et Doctores, id ipsum ex multis in Deuteronomio ordinatis et præceptis deduci posse, et in specie dicit Lyranus ex illo, quod *cap. xix, 18*, Levitici præscribitur : *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, « inde arguebant odire inimicum, sed hoc est falsum, quia « omnis homo ex charitate diligendus est, in quantum ad imaginem Dei creatus est, et capax ipsius « per cognitionem et amorem. » Hugo Cardinalis postquam hanc conclusionem, scilicet in tota lege, hanc permissionem odii inimicorum nuspiam inveniri, tanquam indubitatum firmasset, mox addit, nisi forsitan legis nomine Scribarum traditiones intelligant : « In quorum traditionibus scriptum « est : odio habebitis inimicum, » motivum vero, cur id ipsum Scribæ licere existimarent, fuit, quia Deus, ut inimicos suos quisque persequeretur, præ-

ceperat; verum turpiter hæc in re erraverunt, non distinguendo inimicum ab inimico; illud namque præceptum intelligendum est de iis hostibus, qui illos in bello armis suis impugnabant, illis necem inferri corporalem, non vero mortem illis æternam desiderando, illis odio haberi præcepit. Lucas Brugensis observat, quod « Christus non ait : *Dictum « est, sed audistis quod dictum sit*, ita docti estis a « scribis vestris antiquis dictum esse. »

2. — Auctor Imperfecti, *Hom. xii*, hæc de re, tale format argumentum : « Si justum fuisset inimicos odire, Deus de inimicum ex gentibus nunquam in suam suscepisset dilectionem. »

3. — Dionysius Carthusianus, *in Matth.*, ut ostendat, quando præceptum hoc intelligendum sit ad litteram, distinguit, dicens : « *Odio habebitis « inimicum*, non odiendo naturam, sed culpam; « non personam, sed vitium; quod utique odium « ex charitate procedit, et ad perfectionem pertinet, de quo in Psalmo cxxviii, 22, canitur : « *Perfecto odio oderam illos*. Et *Psal. cxviii, 113* : « *Iniquos odio habui*; » ceterum quisquis inimicum suum, quoad personam, odio prosequitur, qualiscumque ille sit, is neminem aliorum vera charitate

diligere potest, cum peccatum mortale committat; cui proprium est, charitatem extinguere: « Qui « unum hominem odii, nullum veraciter diligit, « cum sit in peccato mortali, quod charitatem « extinguit. » S. Augustinus similem distinctionem, pro hujus præcepti explicatione adducit; dicit enim in *Catena*: « Hæc itaque regula est, qua et « oderimus inimicum propter id, quod in eo malum « est, id est, iniquitatem; et diligamus inimicum « propter id, quod in eo bonum est, id est, rationalem creaturam. »

VERSUS 44.

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate prosequentibus et calumniantibus vos.

Ego autem dico vobis.

1. — Seriam meretur ponderationem illud verbum *Ego*; hic enim ille ipse est, qui ait, *Prov.*, vii, 18: *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam*; et consequenter multo magis legem promulgare, maxime cum dicat, *Matth.*, viii, 18: *Data est mihi omnis potestas in celo et in terra*. Hoc supposito ponderanda sunt verba illa: *Præceptum Domini est*, addere quoque possumus: *Si hoc fiat, sufficit*, cum promissum fuisse constat, *Luc.*, vi, 37: *Dimittite et dimittentur*. Porro præceptum istud humanam debilitatem nequaquam excedit: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis*, ait, *Apostolus*, I *Cor.*, x, 13; maxime cum experimento comprobata sit illa propositio: *Qui amat, non laborat*, et quidem dilectionis inimici, Deus omnium primo exemplum dedit; unde S. Augustinus, *Serm.* vi de temp., ait: « Prius te « dilexit impium Deus tuus, qui nunquam fuit « impius: tu autem, etiamsi jam non es impius, « fuisti tamen aliquando. » Quod idem motivum Auctor Imperfecti hinc verbis, *Hom.* xii, adducit: « Ille pro te et Filium suum, per omnia humane « compassionis tradidit opprobriis usque ad mortem; ille te inimicum suum adoptavit, coheredem unigenito suo fecit, et tu vel nudam dilectionem inimico reddere non vis? » Filius ejus, quidem ipse est, qui hanc nobis dilectionem præcepit, nos licet inimicos ejus amavit. Legitur *Rom.*, v, 10: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. S. Hieronymus, in *Matth.*, ait: « Hæc autem Jesus et docuit, et fecit, dicens: *Pater ignosce illis.* » Porro æquitas et justitia legis hujus, ab eo dependet, ut intelligamus et credamus, nos Deo omnem amorem nostrum jure debere: *Diligite Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, etc.* *Deut.*, v, 5. Hujus autem crediti partem, Deus inimico nostro vult a nobis

expediri: siquidem ipse a nobis amandus est ex amore Dei, non vero quia ipse amari mereatur: sicut enim, si ego Petro, v. g. millium scutorum debitor essem, hic autem mihi, ut ex illis quingenta scuta ad bonum computum Joanni penderem, imponeret: tametsi ille tali beneficio dignus non sit, meque offendisset, ad hæc tamen nullus a me habendus est respectus, sed solum ad id, quod necessario mihi exequenda sit voluntas et dispositio mei creditoris; ita quoque in presenti casu nostro: tametsi inimicus meus a me amari minime mereatur, meretur tamen Deus, ut ejus jussu, illum amem, quia is id mihi imposuit, et serio præcepit. Quod si dixeris: Deum quidem diligere paratus sum, sed non inimicum? Ego id tibi etiam sibi juramento asserenti minime credo; siquidem assertio tua hæresim continet et opponitur Evangelio dicenti, I *Joan.*, iv, 20: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum et fratrem suum oderit, mendax est*. Ehem, quam sunt milites prompti ad obtinendam nutibus ducis sui; servi, quam expedit obediunt dominis, subditi Principibus? De quodam Assyriorum Principe narratur, quod cum in presentia alterius ejusdem magni legati, de militum suorum obedientia gloriaretur, ut illius, legato huic experientiam quamdam daret, aliquem militum suorum in altissima turri vigiliam agentem, se deorsum præcipitem agere jussit, qui vix finito Principis verbo deorsum se indilate precipitavit. Inter Turcas quoque ipsa quotidiana experientia demonstrat, quod ad minimum ducum suorum nutum aut jussum in profundas se fossas, aut catastas, vivos etiamnum ultro citroque, et sine contradictionis murmure dejiciant et sepeliant. S. Philippus Neri, die quadam, cum suis penitentibus, juxta piscinam quamdam, de virtute obedientie dissebat, cumque inter cætera diceret: *Quis vestrum adeo obediens futurus esset, ut ad præceptum meum in hoc se stagnum dejiceret? eorum unus hanc S. Patris questionem, præceptum esse interpretatus, in eundem se lacum subito precipitem egit*. Elementa, que naturaliter inter se contraria existunt, ad nostram tamen utilitatem inter se uniantur, et concordiam quamdam mirabilem conciliant. Arbores, plantæ, planete, mineralia, animalia, omnesque aliæ creature, tam insensate, quam sensu præditæ, abhinc sex millenis et amplius annis, præcepto Creatoris, ab exordio mundi sibi imposito, sese per potentiam obedientialem, perfecte subjiciunt, et quando opus est, inter se ad totius naturæ beneficium, uniantur; solus homo, ad imaginem Dei creatus, et dilecti Filii ejus sanguine redemptus, nec non celestis Hierosolymæ, visionis pacis, inquam, hæres futurus declaratus, Deo inimicos diligere præcipientem, rebellis erit? S. Thomas de Villanova, *Serm.* in hoc ser., ait: « Deus ita vult et « præcipit, et hoc gratum est illi. Quanta quotidie

« facimus pro amicis? quot a nobis alienatos et « invisos, orantibus amicis in nostram gratiam « recipimus? O Christiane, facis hoc pro amico et « non facis pro Deo? » Quodsi Princeps tuus, Rex verbi gratia, vel Imperator, vel Papa te rogaret, ut in ejus gratiam, inimico tuo condonares, cumque illo perfecte reconciliaberis, simulque tibi summam suam deinceps gratiam et favorem, si huic ejus petitioni obsequaris, promitteret, quam libenter ei obtemperares, tumque inimicum velut maximum amicum amplectereris, eo quod ad comparandam tanti Monarchæ gratiam, occasionem tibi et viam sterneret? At vero hic adest æternæ Veritatis promissio: *Ut silii Filii Patris vestri*; cum igitur ipsemet Deus in propria persona tibi supplex fiat, imo cum ipse, in ejus fœmore scriptum est, *Rex regum et Dominus dominantium*, rigorosum tibi inimicum diligendi præceptum statuat, nos illud nullius astimabimus? non pro dilectionem talem, honorem nostrum dininuerundum esse metuemus? et tamen nos valde honoratos esse arbitraremur, si ad requisitionem alicujus Principis terreni, inimico condonaremus; imo, quod culpam nostram vel maxime adauget, est, quod sepe propter alicujus impudicæ scortii respectum et amorem, vel aliud quoddam vile interesse, inimicis nostris dimittamus et tamen id ob Dei amorem facere obstinate detrectamus.

Diligite inimicos vestros.

2. — S. Thomas, in *Matth.*, qua in re adimpletio hujus dilectionis consistat, hinc verbis nobis declarat: « Consultendo, auxiliando, beneficia largiendo, « omnes tenentur ad hoc, affectu, et effectu etiam, « in necessitate, » *Lyranus, ibid.*, interpretatur in ordine ad bona spiritualia: « Bona scilicet gratiæ « et gloriæ eis optando; » bona vero temporalia illis desiderare debemus in generali, in quantum scilicet ad animarum salutem expedire possunt. S. Thomas de Villanova, hoc præceptum de proximo non odiendo limitat, ut scilicet adimpleatur, non persequendo illum, non desiderando illi malum, ipsunque ab orationibus communibus non excludendo, eidem quoque in extrema necessitate fraternali prospiciendo, et quanto opus est, correctionem ei adhibendo, bona quoque spiritualia gratiæ et gloriæ, haud secus ac aliis proximis nostris desiderando. « Cæterum ei familiariter loqui, et temporaliter diligere, et extra casum necessitatis, ei « benefacere, hoc consilium est, non præceptum. »

3. — Porro motiva, quæ hunc nobis amorem perfundere possunt, multa sunt, eaque omnia valde considerabilia. Enimvero Deus, hujus dilectionis nobis inferende tantam curam et estimationem habuit, ut illam in hoc eodem capitulo, v, 23, sacrificio sibi offerendo, quod dignissimus est cultus divini et religionis actus, quem Deo prestare

possamus, longe præfulerit, jussit enim ut relicta ad partem, oblatione Deo facienda prius cum proximo reconciliaremur. Ubi *Chryostomus, Hom.* xvi in *Matth.*, ait: « Honorem suum despicit, dum « in proximo charitatem requirit: sacrificium mihi « est, fratrum reconciliatio. »

4. — Postquam Salvator noster in oratione quotidiana, hanc nos petitionem, *Matth.*, vi, 14, docuisset: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, immediate subjungit: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester celestis debita vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Quod idem diu ante protestatus fuerat *Ecclesiasticus*, xxvii, 1, dicens: *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam et peccata illius servans, servabit; relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solentur*.

5. — Meretur etiam per injuriarum remissionem, magnam celestium gratiarum abundantiam, habemusque egregiam multos virtutum actus exercendi occasionem. Unde S. Franciscus se terre invidere, dicere solebat, utpote quanto magis a lignonibus metallis et gemmis leocleptare non omittit: eodem modo, multæ animæ, quanto atrocioribus persecutionibus, ignominia et injuriis afficiantur, tanto ardentius in divino amore effervescent, et in merito et sanctitate adaugentur. Eusebius Emissenus, serenitatem vultus in Protomartyre considerat, cui pro suis lapidatoribus precanti, aperta fuit Paradisus: « Nec mirum, si eis nescit irasci, per quos sibi « videt aulam regni celestis aperiri, per quos se « æternis sæculis intelligit consecrari. »

6. — Auctor Imperfecti quoddam maximi momenti punctum tangit, *Hom.* lxi, hinc verbis: « Puto, quod non tantum pro inimicis nostris « Christus illa mandavit quantum pro nobis: non « quia illi digni sunt, ut diligantur ab aliquo, sed « quia nos non sumus digni, ut aliquem odiamus; « ergo non tantum ideo jubet diligere inimicos, ut « illos diligamus, quantum ut a nobis, quod malum « est, repellamus. » Enimvero nihil aliud ira est, quam quedam sanguinis circa cor inflammatio, et sunitatis plurimum est noxia; siquidem infallibilis, et a Spiritu Sancto dictata, *Psal.* lvi, 23, veritas est: *Viri sanguinem non dimittunt dies suos*. Odiū venenum quoddam est, quod non solum corpori, sed etiam animæ necem affert: *Qui non diligit, manet in morte*. Unde S. Maximus ait: « Nemo se seducat, qui vel unum hominem odio « habet, quidquid Deo in operibus bonis obtulerit, « totum perdit. » Idem Auctor Imperfecti ait:

« Non dicam, si læseris inimicum, sed si oderis eum, tanto amplius tibi nocuisti secundum animam, quam illi secundum corpus. »

7. — Considerandum quoque est, quod lex duelli, qui vindicativus subicitur, infamiam ei conciliabit, nimirum periculum evidens mortis corporis, et interitus animæ infallibiliter infernum quemdam veluti ærumnarum sibi conciliat. Unde celebris est illa S. Ambrosii sententia: « Contemnentibus jura Dei, jura hominum proponuntur. » Porro de homicidis scribitur, *Psal. xxxvi, 13: Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Quot sunt inimicitie, quæ facultatem, et honoris dispendium secum afferunt, et per suspiciones et continuas cordis anxietates, integras familias et civitates, imo etiam nonnullam integras nationes et provincias in precipitium proturbant?

8. — Et tamen advertendum est, quod, tametsi nos injurias ab inimicis nobis illatas, remittamus, per hoc nihilominus injuriæ nostræ inulte non sint permansure; siquidem ipsemet Deus, ob cuius amorem nos illas condonamus, dicit: *Mihi vindicta et ego retribuam.* Porro vindicare se velle, est jurisdictionem Dei arroganter usurpare, qui *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum* in Scripturis appellatur. Et ideo S. Ambrosius, *lib. de Noe et arca, c. xxvi,* nos monet, dicens: « Scientes prærogativam nostræ ultionis apud eum manere, neque in alios committamus, quod divino judicio vindicandum est. » Nos receptarum injuriarum nostrarum iudices competentes, utpote nimis hac ex parte passionati et interessati, esse non possumus, meliorem, ad illarum auctores puniendos, discretionem Deus habet, estque gladius divinæ justitiæ nostro longe acutior et limatior. Et ideo David, qui præcunctis aliis majores fuit persecutiones perpassus, jure dixit, *Psal. xvi, 2: De vultu tuo judicium meum procedit.*

Benefacite his, qui oderunt vos.

9. — Postquam Salvator noster internum nobis hujuscæ dilectionis actum commendasset, dicens: *Diligite inimicos,* nunc quoque actum externum nobis imponit, dicens: *Benefacite,* etc. Lucas Brugensis ait: « Porro diligere ad animum imprimis spectat, cuius quia probatio est operis exhibitio, additur: *Benefacite.* » Cajetanus, stante rigore præcepti, quomodo intelligendum sit declarat, dicens: « Benefacere inimicis in communi, est non excludere eos a beneficiis communibus. » Porro nostræ erga illos beneficiæ meritum, magna cum utilitate nostra remuneratur, dum ipsi ex inimicis in benefactores nostros transmutantur; ac proinde Theophylactus scribit: « Inter benefactores, oportet illos habere; » cuius asserti sui duas rationes adducit, quarum prima est: « Omnis enim, qui nos persequitur, leviozem facit penam, » quam pro

peccatis ferre deberemus. Alia vero ex Evangelii verbis desumpta fuit, in quibus propter merita hujus amoris, filiationis divinæ prærogativa remuneratur. Et tamen subjungit: « Vide, quantum bonum dat, qui te odit et ledit; modo sustinere velis. » Paulus de Palatio dicit, quod, dum inimico nostro benefacimus, « non solum illi, sed Deo, imo vero nobis impendimus, imo forsam multo majorem coronam parietur mihi, beneficium, quod inimico dedi, quam si Deo, aut mihi dedissem. » Ratio, quam affert, discussione non indiget, siquidem ad hoc, ut Deo aliquid dem, voluntati nostræ non sit magna aliunde oppositio, multo minus quando de beneficiis nobismetipsis impendendis agitur: « At ut dem inimico, charitas multa in pectore debet ardere. » Benefaciendo inimicis nostris nostrum quoque bonum operamur, quia illos nobis placamus: at vero, si nos vindicemus, eorum contra nos furorem magis provocabimus. Auctor Imperfecti hoc quoque movit affert: « Ut eorum odia nostris beneficiis compescantur; » ad hoc propositum optime servit celebris illa Senecæ sententia, dicens: « Quid est gloriosius, quam iram amicitiam commutare? » Quot amicos perdidissemus, si ob quemlibet rigidum et austerum vultum, vel mordax verbum iram nostram prodidissemus. S. Augustinus ait: « Ecce, quare Dominus dicit, *diligite inimicos vestros,* quia diligendo inimicum, facis amicum. » Aliam rationem Auctor Imperfecti tangit, dicens: « Benefacite odientibus, ut ex vestra benevolentia ipsi se judicent, quia injuste nos odiant. » Aliam quemdam, ad inimicis benefaciendum, stimulum adducit Paulus de Palatio, estque gloria, quæ ex hoc tam heroico actu in nos redundat, tam apud homines, quam in conspectu Dei: « Qui pro inimicis orat, » inquit, « quique inimicos diligit et faret, spectaculum est mundo, et Angelis, et hominibus. Spectat Deus, spectant Angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines. » Idque Apostoli testimonio probat, dicens, *I Cor., iv, 9: Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus,* ut autem clarius explicet, quam in re coelum et terram suspensam teneat, subjungit: *Maledicuntur, et benedicuntur; persecutionem patimur, et sustinemus, blasphemamur et obsecramus.*

Et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.

10. — Ad eradicandum totaliter odium e cordibus nostris, non solum, ut adversarios et malevolos nostros diligamus præcepti, verum etiam illis nos benefacere voluit, *benefacite,* neque hoc etiamnum contentus, insuper jussit ut orationes nostras pro illis ad Deum effundamus. Lyranus, *ibid.,* verbum orate exponit, dicens: « Optando scilicet eis bona gratiæ et gloriæ, » et merito, quia cum sint nostri persecutores, habeantque cor odio et malevolentia plenum, a gratia et gloria exclusi esse

nocentur, ac proinde in gravi et extrema necessitate constituti, auxilio nostro indigent. Lucas Brugensis rationem hanc reddit, cur tanto magis ad compassionem erga ipsos moveri debemus, quanto major in ipsis malignitas abundat: « Quod vitium, ad majorem potius benevolentiam affectum movere nos debet, quemadmodum medici, quando calce feruntur a freneticis, tunc etiam magis miserentur illorum. » Porro oratio isthæc quam pro inimicis nostris ad Deum effundimus, ex mente S. Gregorii, *Hom. xxxvii,* ingentis efficacitæ existit: « Virtus veræ orationis est celsitudo charitatis, et tunc quisque quod recte petit adipiscitur, cum ejus animus in petitione nec inimici odio fuscat, sed plerumque reluctanter animus vincimus, si etiam pro inimicis oramus. » Porro inter omnes tam Veteris quam Novi Testamenti sanctos, David vel maxime de virtute mansuetudinis, sancte gloriari posse videtur: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Et in *Psal. xxxiv, 12,* insidias, quas inimici adversum machinati fuerant, manifestat, dum ait: *Retribuunt mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ;* utilitas autem, cum inde cepit, fuit illa, quæ in Evangelio nobis insinuat: *Cum mihi molesti essent, induer bar cilicium, humiliabam in jejunio animam meam.* Quemnam vero inde fructum percepit? *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Ubi S. Ambrosius ait: « Hæc est oratio, quæ in sinu convertitur deprecantis, fructum « referens eorum, quæ voluit impetrare. »

VERSUS 45.

Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.

1. — Differentia, quæ inter filios Dei et filios diaboli versatur, in hoc consistit, quod hi vindicativi sunt et homicidæ, *I Joan., iii, 10: In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli; omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum.* Et ideo vindicativus vere dici potest, *I Joan., vii, 44: Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere; ille homicida erat ab initio.*

2. — S. Augustinus observat, quod « Christus non ait: Facite ista, quia estis filii, sed facite ista, et ut sitis filii; cum autem ad hoc nos vocat, ad similitudinem suam vocat. » Etenim quidnam est aliud, in quo tanquam filii Dei agnosci poterimus, inquit etiam Auctor Imperfecti, quam si Deo assimilemur? Filii carnales genitoribus suis sæpe in vultu, voce, vel in aliis corporis lineamentis assimilantur, filii autem spirituales in sanctitate. In natura Deo similes esse non possumus, ut ait etiam Dionysius Carthusianus, dicens: « Huic perfectioni

« assimilari non possumus, similitudine æqualitatis, sed imitationis. » S. Gregorius dictum illud Sapientiæ, *xii, 18. Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas,* declarans, ostendit quod in repressione iræ et furoris, contra inimicos nostros concepti, ipsamet Deum imitemur: « Quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur. » In ejus asserti probationem, ut Albertus Magnus, *ibid.,* optime notat, Christus ipsemet dixit: « *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est,* et ideo non movetur passionibus iræ vel inimicitie. » Quam ex cogitari a quopiam poterit prærogativa sublimior, quam quod vilis aliquis terræ vermiculus, qualis homo est, Deo reddatur similis? Id assequi non possumus per sapientiam, æternitatem, immutabilitatem, immensitatem, omnipotentiam, vel alia similia attributa, sed per solum mansuetudinem. Advertendum quoque hoc loco est, quod, ut prudentiam addiscamus, Deus nos mittat ad serpentem: *Estote prudentes sicut serpentes.* Ad comparandum simplicitatem et sinceritatem candorem, mittitur ad columbam: *Simpliciter sicut colubæ;* providentiam Dei lilium nos docet: *Considerate liliæ agris,* et a lethargo pigritiæ nostræ evigilemus, ad formicam ablegamur: *Vade ad formicam, o piger.* At vero ubi de condonandis et remittendis injuriis, et amore eorum, qui nos offenderunt, agitur, quoniam remittitur? Ad æternum ipsius Patrem, ut ab illo in filios suos adoptemur: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est;* insuper etiam voluit, ut nos in ipso specularemur, utpote in eo, qui Patris imago existit. *Discite a me quia mitis sum.*

3. — Considerandum quoque, qualis honor et gloria ex hac filiatione Dei in nos dimanet, de qua Apostolus scribit, quod ne quidem angelica natura, illius honore frui vel potiri potuerit. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu? Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium?* Utique S. Paulo non deerant ad Christi gloriam exaltandam alii tituli et tamen solo hoc Filii Dei titulo uti voluit, utpote omnibus aliis sublimiori. Unde Auctor hoc argumentum deducit: « Qualis putas sit actus æ dilectionis inimicorum, cum filiationis divino titulo remuneretur? » Lucas Brugensis, in *Matth.,* ait: « Quid enim ab homine optari possit divinus atque beatius, quam ut sit et opere ipso esse deus clarior Dei Patris filius. » Et quidem Dionysius Carthusianus, ad omnes tres Divinas personas extendit: « Scilicet Dei Patris, vel totius super beatissimæ Trinitatis, quæ est unus creator ac Deus, et Pater omnium nostrum. » Et ideo Paulus de Palatio continere se nequit, quin exclamet: « O mortales, quorum peccora honoris ambitio, et divitiarum vexat cupiditas, accurrite: en via summi honoris comparandi; si inimicos diligitis,

« filii estis Dei. Cur ad honorem, qui vos pauperes « facit, aspiratis, ad eum vero, cui sunt regni coe- « lestis iura connexa, languetis? » Idem quoque Auctor ignorare se dicit, an Deus nos in alia qua- quam occasione filii Dei titulo honorarit, prae- quam his; aut vero si alias quoque idem ab eo factum fuit, id utique eadem ex causa contigit, sicut quando dixit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

4. — Quod si filii substantia sunt parentum suorum, consequens est, ut tanquam filii, aliquid divini participemus. Jacob ad Esau, a Deo alias reprobatum, dixit: *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei;* id quod ea in occasione dixit, quando furor illius mitigatus fuit: *Amplexatus est eum, strinxerat collum ejus, et osculans flevit.* Ubi Glossa ait: « Peccator cum remittit, quasi alter Deus est. » S. Paulinus, *Epist.* n, scribit: « Vicem injuriae red- dere humana ulio est, at inimicos etiam diligere, « vindicta celestis est. » Memorandum hic quoque est, quod, quando Pater aeternus Salvatorem nostrum, in trigesimo tertio aetatis suae anni decursu, coram toto mundo Filium suum esse declaravit, id ipsum tum super Jordane, tum in monte Thabor factum fuerit; utroque enim clarum hoc ei perhibuit testimonium, nimirum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Advertendum est autem, quod tam in hisce aquis sanctum lavacrum symbolizantibus, quam in dicto monte, ubi loquebatur de excessu, quem completurus erat in Jerusalem, de peccatoribus Deo reconciliandis tractatum fuerit. Unde S. Augustinus ait: « Ipse siquidem naturalis « et unigenitus Dei Filius, talis e caelo praedicatus « et designatus est, cum se inimicis suis praebuit « benevolam, si velimus recolere tum in Jordane, « tum in Thabor, a Patre dictus est Filius; cum de « inimicis, sibi Patrique conciliandis agebat. »

5. — Enimvero unum e majoribus obstaculis, ut quotidie in praxi experimur, quod magis hominum partem, a remittendis ab inimico illatis injuriis, retinet, est metus, quo anguntur, ne in conspectu mundi reputationem suam amittant; sed ecce tibi, obstaculum istud nunc e medio totaliter sublatum, dum illos, qui injurias remittunt, filiorum Dei titulo honorat. Quisnam unquam honorem nostrum magis cordi duxit, quam ipsemet Deus noster, qui hunc nobis super omnes terrae thesauros custodiendum, *Eccl.*, xii, 15, commendat: *Carum habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi.* Similiter in Proverbiis, v, 9, nos monet: *Ne des alienis honorem tuum.* Et quomodo nobis Salvator hanc remissionem injuriarum persuadere potuisset, si nos inde, praemii loco, reportaturi fuisset, honoris nostri praedictum? Ideo S. Cyprianus, *l. de bono patient.*, ait: « Deus non « tantum censet, non esse contra honorem inimicis « parcere et benefacere; sed potius supremum ho-

« norem et gloriam. » Et quidem quisnam, ad pun- tum hoc decidendum, iudex competens erit, Densae, qui prima, infallibilis et aeterna Veritas et Sapientia increata est, an vero vulgus? Vulgus dico, non mundus, quia si nomine mundi, eos, qui in mundo sapientiores sunt, intelligere velimus, quales sunt Magistratus, Principes et reges, his scimus incumbere, ut contra vindictivos leges promulgent, eosque, qui has transgrediuntur, per manus victoris, cum infamia publica, supplicio afficiant. Optime igitur S. Bernardus ait: « Magna gloria est, si cui « poluisti nocere parcas; nobile vincendi genus est « ignoscere velle. »

Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, pluit super justos et injustos.

6. — Paulus de Palatio, *ibid.*, optime observat quod Christus haec duo beneficia, quae Deo homini praestat; simul junxerit, siquidem unum ab altero divisum noxiom esset, sicuti ambo simul conjuncta, magnum nobis emolumentum afferunt, si enim semper serenam esset et nunquam plueret, sol nocivus futurus, et sic e contra de pluvia. « Quod « ergo beneficium summum sentiunt homines, est « solis ortus cum pluvia temperatus. »

7. — Albertus Magnus in his verbis considerat, quod iustis praecedentia data fuerint; prius enim dicitur: « Super bonos, super justos, quia licet « temporalia dentur bonis et malis, a Deo tamen « propter bonos dantur, sicut patet. » *Gen.* xix, 1.

8. — Eandem considerationem Auctor Imperfecti diu ante habuerat, dicit enim: « Cante « posuit, dicens: *Super justos et injustos*, quia « omnia bona Deus non propter homines dat super « terram, sed propter paucos sanctos; contentus « est enim magis, ut peccatores contra meritum « suum bonis Dei fruantur, quam ut iusti, contra « meritum suum a bonis ejus fraudentur. »

9. — Idem argumentum, quod Christus in dilectionis inimicorum favorem formavit, a Chrysostomo quoque adducitur, *Hom.* xvii in *Matth.*, his verbis: « Nam et ipse quoque, » inquit, « non « modo odit contemptores suos, verum etiam be- « neficis munerat. » Ante hunc tamen S. Doctorem, Seneca pariter scripserat: « Si Deum imita- « ris, da et ingratis, nam et sceleratis soli oritur. » Lucas Brugensis observat quod magna sit inter injuriam, a nobis Deo factam, et eam quam tuus homo alteri infert, inaequalitas, et tamen Deus receptam ab homine injuriam tam facile remittat. « Carte, » inquit, « nequaquam est aequale pecca- « tum ejus, qui Deum et ejus, qui te spernit, non « modo propter beneficiorum cumulum, quibus a « Deo ille affectus est, verum etiam propter emi- « nentiam dignitatis. » Petra in deserto percussa, populo Israelitico aquam foras produxit, qui aliis ignem naturaliter percussa vibrare solet. *Petra au-*

tem erat Christus, qui, quanto atrocius a nobis habitus fuit, tanto majori erga nos fuit amore succensus, nobisque e benedico, per diram lanceam aperto latere suo, opulentissimos thesauros, id est, sacramenta, per que in coeli possessionem ingredi- mur, copiose emanare fecit.

VERSUS 46.

Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et Publicani hoc faciunt?

1. — Auctor Imperfecti ait: « Qui amicos dili- « git, propter se diligit, non propter Deum, et ideo « nullam habet mercedem; » remunerationem quidem ab amico habere poterit, nullam vero a Deo premium obtinebit, siquidem amor iste ad eum ordinatus non fuit. « Delectat eum ipsa dilec- « tio, qui autem inimicum suum diligit, non prop- « ter se diligit, sed propter Deum, ideo magnum « habet mercedem, quia contradicit motibus suis. » Hugo Cardinalis meritum hujus dilectionis, quae a charitate derivatur, observat, dicens: « Amare « amantem naturae est, inimicum amare charitatis « est. »

2. — Porro inter Christianos, qui legem in charitate totaliter fundantur profitentur, et inter paganos haec intercedit differentia, quod hi illos duntaxat ament, qui ipsis per amorem reciprocum vicissim correspondent, nos autem et eum, qui nos odio prosequitur, diligamus. Unde Tertullianus ait: « Amicos diligere, omnium est, inimicos autem, « solorum est Christianorum. » S. Petrus charactere Christiani, ejusque vocationem, per quam a cunctis aliis, Evangelio non credentibus, distinguitur, his verbis, *I Epist.*, ii, 21, optime declarat: *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, similiter quoniam sint illa vestigia, quae post ipsum gradiendo, sectari debemus, ita declarat: Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. » Habemus inimicos « diligere, » inquit Tertullianus, « ut haec sit per- « fecta et propria bonitas nostra, non communis. » Christus Isaiae, *lxi*, 1, suum in hunc mundum ad- ventum praedixit voluit his verbis: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, ut autem sciret, in quo spiritus ille et unctio ista consistat, subjungit: *Ad annuntium mensuetis misit me.* Similiter quando nos primitus invitavit, ut ipsum tanquam magistrum nostrum auscultemus, prima virtus, quam omnium primo loco nobis insinuavit, mansuetudo fuit: *Discite a me, quia mitis sum.* Quando in eremum, quae a S. Augustino « Cathedra docen- « tis » appellatur, ascendit, prima ejus lectio hisce verbis absoluta fuit: *Pater, ignosce illis.**

VERSUS 47.

Et si salvaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt?

1. — S. Anselmus ostendit, Christum hoc argu- mento monstrare voluisse, quod discipuli et seclatores sui minime futuri sint meliores, si neminem alium ament, nullique benefaciant nisi solis amicis suis. Albertus Magnus ait: « Salutatio vocatur exhi- « bitio beneficiorum. » Dionysius Carthusianus dicit: « Id est, salutem et bona aptaveritis. » S. An- tonius Paduanus ait: « Salutare est salutem alteri « implorare. »

2. — Paulus de Palatio multos gentiles, veri Dei notitia et lumine fidei omnino destitutos, magis erga inimicos suos se ob gloriam et applausum humanum, beneficos exhibuisse ostendit, quam nos ad ipsiusmet Dei instigationem faciamus: « Gentilium « exempla id utilitatis habent, quod ori nostro « pudorem et roborem infundant, dum ab illis, « quibus praecipuum non erat, videmus factum, « quod a nobis, quibus tanto robor et verborum « pondere praecipitur, manifeste videtur neglec- « tum. »

VERSUS 48.

Estate ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.

1. — Albertus Magnus, in *Matth.*, ait: « Ex hoc « quod dicit: *Sicut Pater*, accipitur constans ad nos « affectus, qui etiam illata injuria non provocatur « neque beneficia subtrahit. » Ex dictione *vester*, « neque obligatio, qua ad illum imitandum ob- « stricti sumus; unde Malachiae, *i*, 6, dicitur: *Si ego Pater, ubi honor meus.* Apostolus ad *Hebr.*, xii, 9, pariter nos monet dicens: *Nonne magis obtempera- « bimus Patri spiritui et vivoemus?* Cum vero dicit: *Pater caelestis*, imperturbabilem suam denotat serenitatem: « Quia caelestia nulla moventur turbu- « lantia, sicut et Deus Pater peccatis in se factis « non turbatur ad inimicitias irae, ut non benefa- « ciat. »

2. — Enimvero certum est, quod perfectio a charitate majori vel minori mensuretur; quodnam vero adhiberi poterit medium, quod ad charitatem, et consequenter perfectionem hanc adaugendam magis cooperetur, quam inimicos benefacere, eique bonum pro malo reddere? Taulerus de quadam Sancta refert, quod interrogata, quoniam medio adhibito ad eam eminentem sanctitatem pertigisset, responderit: « Eos, qui mihi molesti vel infesti « erant, singulari amore dilexi, atque illi, a quo « laesa fueram, peculiare semper beneficium con- « tuli, quod alias ei non contulisset. » *Dum su- « perbit impius incenditur pauper*, id est, ut Hugo Cardinalis ait: « Incenditur amore Dei. » Deum enim impii et perversi homines, adversus humiles

et mortificatos, vel maxime eriguntur, hi tanto ardentius, igne amoris Dei et dilectionis, erga ipsos accenduntur, et ideo idem Hugo vocem *Pauper* ita glossat: « Pauper spiritus. »

CAPUT VI, VERSUS 1.

Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est.

Attendite.

1. — Hoc verbum sollicitudinem exprimit, quo nobis in cavenda vana gloria, adhibenda est. Unde Theophylactus ait: « *Attendite* et cavete, quasi de mala bestia dicat: *Attende*, ne te dilaceret. » Lyranus: « Diligenter considerate. » Ac demum Chrysostomus, *Hom. xix in Matth.*, ait: « Cor autem nostrum attendere debemus; invisibilis est enim serpens, quem observare debemus, et latentem ingrediatur et se ducit. »

2. — Enimvero punctum hoc, de cavenda vana gloria hoc sacro tempore, fidelium mentibus inculcare operæ pretium est, unde etiam sancta Mater Ecclesia, in primo Evangelio, Quadragesimali feria quarta lecto, idipsum nobis recommendavit; ratio autem est, quia cum hoc tempore, in multis virtuosius sanctisque operibus occupandi simus, inimici infernalis utique pro viribus allaborare enabuntur, ut operum nostrorum meritum, vana gloria mediante, perdere possit. Unde S. Augustinus, *Serm. lvi de temp.*, ait: « Sicut tempore messium vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari colligitur, ita diebus quadragesimæ, unde anima nostra in eternam possit vivere, congregatur. » Vana gloria autem est velut oculus quidam latroneus, qui nos in hac bona messe aut vindemia spoliare satagit. Hanc Lucas Brugenensis hisce verbis præclare scribit: « Pests insidiosa laudis amor; clam etiam per cuniculos quosdam in hominum mentes irrepens, dum virtuti incumbunt, atque ipsa onera sancta absque strepitu, maxima cum quiete emedullans, solisque relictis inanibus paleis, absque ullo sensu perditis cuncta, quæ intus sunt, auferens. » Auctor Imperfecti notat, *Hom. xii*, quod omnia quidem vitia impios, qui mancipia sunt diaboli, aggrediantur: « Concupiscentia autem vana gloriæ, non solum servos diaboli, sed etiam servos Dei et viros fideles impugnat. » Chrysostomus, *Hom. xix in Matt.*, verbum *Attendite* examinat et dicit: « Quasi de infidissimo aliquo serpente loqueretur, potentissimoque ad fraudandum eum, qui non tota prorsus mente vigilasset. » Albertus Magnus, *ibid.*, advertit quod opera virtuosia potius attendantur, quoad modum et intentionem, qua fiunt, quam quoad factum ipsam, addeique illud textum

Deut., xvi, 20: *Iuste, quod iustum est, exequeris, omnis autem modus abundantis iustitiæ consistit in recta operis intentione.*

Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.

3. — Lyranus ait: « *Iustitiam*, id est, opera bona. » At vero, ex quo Christus alibi dixerat: *Lucent hæc vestra coram hominibus, ut videantur opera vestra bona*, quomodo nunc velat, ne videantur? S. Anselmus dicit: « Hæc intentione fieri prohibet, ut videantur, » id est, velint videri; quod idem Iansenius dicit et fusiùs explicans ait: « Non enim hoc voluit esse finem operum honorum factorum coram hominibus, sed id, quod adiecit, nimirum ut glorificent Patrem coelestem. » Glossa ait: « Non prohibet videri, ut Deus laudetur, sed videri, ut ipsi laudentur. » Etenim in hoc genere operum meritoriorum, doctrinam quandam, longe utilissimam, supponere oportet, quam Chrysologus, *Serm. ix*, hisce verbis tangit: *Deus de corâibus, non de manibus facta metitur*. S. Augustinus hoc signum infallibile nobis tradit, unde, quemam opera Deo accepta sint, discernere valeamus. Dicit enim, in *Psal. xxi*: « Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat. »

4. — Verum enimvero, quantumcumque hæc in re advertentia nostra sit, hunc tamen vana gloriæ appetitum refronare adeo est difficile ut S. Prosper, *lib. de sententiis* S. Augustini, *sentent. cccxvii*, a S. Thoma, in *Catena* sua citatus dicat: « Quanta vires nocendi habeat humana gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur, difficile tamen est ea non delectari, dum offertur. »

5. — Verumtamen instabis fortasse ullerius, quod saltem in erogatione elemosynarum, maxime si hæc a nobis in publico deposcantur, impossibile videatur esse, illam ab hominum oculis abscondere, quia tametsi pauperem etiam seorsum pro elemosyna ei eroganda evocemus, satis tamen unicuique apparet, id ad ejus miseriam sublevandum fieri. Respondet Auctor Imperfecti, *Hom. cit.*, verbis sequentibus: « Considera, quia non dixit, *ne tantum coram hominibus faciatis*; sed addidit, *ut videamini ab eis*; qui ergo non ideo facit, ut ab hominibus videatur et si coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus fecisse videatur; qui enim aliquid facit propter Deum, neminem videt in corde suo nisi Deum, propter quem facit; sic artifex eum semper habet præ oculis, qui sibi opus faciendam commisit. »

Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem.

6. — Lyranus ait: « Ex quo enim intentio fertur ad homines tantum, non est aliquid a Deo iusto

« expectandum; » ac proinde observari debet, quod non dixit: *Mercedem habebitis* absolute, sed addit: *Apud Patrem vestrum*; quia qui gloriam et applausum mundi solum aspirat, gloria Dei certissime destituitur. Unde Auctor Imperfecti ait: « Et mandatum dat et penam proponit, ut vanitatem humanam, etsi non amor iustitiæ tenet, vel timor damni retrahet. »

VERSUS 2.

Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagoga et vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te.

1. — Lyranus hujus sonantis tubæ, cuius Christus hic meminit, causam exponens, dicit olim apud Judæos tubarum usum ad eundem finem servivisse, ad quem apud nos campanæ adhibentur, unde sicut in aliquibus locis videmus quod ad pauperes coadunandos campanæ pulsantur, ita apud Judæos, in eundem finem tubæ sonus adhibebatur; hypocritæ igitur tunc suam in elemosynis erogandis liberalitatem ostentare volebant, hoc instrumentum insonabant, non quod pro suo objecto alienæ miseriam sublevam haberent, sed quia vanam gloriam et applausum venabatur humanam, *Ut honorificentur ab hominibus*. Cajetanus quoque hunc eundem ritum notans, subjungit: « Hic enim mos rationaliter institutus erat, ad tollendam vagationem incertam mendicantium et molestiam erogantium elemosynas, ne omni hora, aut ubique molestæ rentur; sed hypocritæ abutebantur hoc more, servantes illum ad hoc, ut honorificentur ab hominibus. » Albertus Magnus argute considerat, quod Christus non dixerit: *Noli tuba canere*, sed: *Noli tuba canere ante te*, id enim fecisse credendus est, quia hypocritæ delectatur in tali sono, sicut in cantu musico.

2. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Tuba canere est pompam vana laudis appetere. » Unde Rahamus ait: « Ante se tuba canit, qui ante alios vult laudari. » Hugo Cardinalis ait: « Id est: Noli innolescere ad gloriam tuam. » Præ cæteris vero, sonum hunc tubæ diffusius interpretatur Auctor Imperfecti, dicens: « *Tuba* est omnis actus vel sermo, per quem operis iactantia demonstratur, quasi dicat: Omnis ille tuba canit, qui in operibus bonis, que facit, videri et laudari appetit. Idem vero Auctor in individuo de elemosyna tractans, magis specificè exponit, quinam sint illi, qui tuba ante se canunt: « Qui intercedente aliquo facit elemosynam, ubi autem non est intercessor, non facit; hæc consuetudo mala tuba est. Item qui

« viderit honestiorem personam, quæ potest referre et dat ei. » In vita S. Caroli refertur, quod dum quidam vir nobilis, elemosynam ab eo posceret, eidem medium duntaxat grossum donaverit, idque ne vana gloriæ vitio peccaret; siquidem alias in elemosynis erogandis adeo liberalis fuit, ut unico die quadraginta duo scutorum millia inter pauperes dispensari. Idem quoque Auctor dicit, quod si quis alicui personæ qualitate elemosynam daret, alio quodam æqualiter egeno ex solum capite postposito quod vilis sit et abjectus: « Hoc tuba est, etiamsi in loco secreto fuerit, eo tamen proposito, ut laudabilis videatur; primum quia fecit, secundo, quia absconso; ipsa absconso, tuba est elemosynæ ejus; » et quidquid illud fecerit homo, per quod apparet, aut vult apparere, quia fecit, tuba est. Ideo non tantum locus, nec actus secretus servandus est, sed magis voluntas secreta.

3. — Albertus Magnus particulam illam, *ante te*, declarat, dicit: « Si enim post se esset, quod videlicet tentaret et non præcederet, humana esset hæc tentatio, sed quando præcedit, diabolica hæc est elatio. » S. Philippus Nerius nolebat, ut quis ad veram gloriam fugiendam, bene operari desineret. Unde solebat tria vana gloriæ genera distinguere. Primum est, quod ab ipsa vana gloria, *domina* appellabatur, et hanc tunc dicebat, quando vana gloria opus bonum præcedebat, adeo ut opus bonum ad finem, applausum et æstimationem sibi comparandi, fieret. Secundam vocabat *secundam*, eratque, quando opus bonum non quidem propter applausum humanum fiebat, in eo tamen faciendo, aliquam illius habebat complacentiam. Tertiam denique vanam gloriam, appellabat *servam*; eratque, quando eadem inter bene operandum quidem exurgebat caute tamen et subito reprimebatur. Qua distinctione supposita, monere solebat, dicens: « Super omnia cavete, ne vana gloria dominans, reperiat in vobis. »

Sicut hypocritæ faciunt in synagoga et vicis, ut honorificentur, etc.

4. — Albertus Magnus ait: « Ecce loca laudi congruentia. » Etenim Salvator duo locorum genera tangit, magis ab hominibus frequentata, sacra scilicet et profana; sacra sunt synagoga; « Locum, in quo confluit ad cultum Dei multitudo, dines, et hæc laudant apparentem sanctitatem, et locum, ubi confluit ad negotia propria, et hæc laudant apparentem largitatem. »

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

5. — S. Gregorius, *lib. VIII Mor.*, xxvii, miseriam istorum hisce verbis deplorat: « Qui pro virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti, vili pretio venalem portat, unde cæli regnum mereri potuit, imo nummum tran-

« sitoris sermonis querit. » In Aggea Propbeta, 1, 6, contra ejusemodi dicitur: *Seminastis multum et intulistis parum; qui mercedem congregavit, misit eas in sacculum peritum, vel ut alia littera legit: In dolium perforatum.*

VERSUS 3.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

1. — Jansenius quorundam refert opinionem, qui per manum sinistram, familiarissimum quemdam inimicum intelligi posse existimant; ut sit sensus: « Adeo secreto eleemosynam facio, ut ne « familiare quidem tibi conscii sint ejus, quod « agis. » Verumtamen sententia Chrysostomi, *Hom. xix in Matth.*, et aliorum adheret, qui putat id, per hyperbolem dictam esse: « Hic quoque non « manus voluit intelligi, sed exaggeratum posuit « hunc sensum: Si, inquit, possibile est te ipsum « quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus « in studio et si fieri queat, nec manus, quibus id « peragitur, conscie sint. » In qua etiam sententia Theophylactus fuit, dum ait: « Hyperbolem hoc « dicit, quasi diceret: si possibile, etiam te ipsum « ignores. » Dionysius Carthusianus, de intentione intelligit, quando in executione adimpleri non potest: « Tam occulte hoc facias, quantum ad « animi intentionem, ut nec ab illo videatur, qui « tibi tam vicinus est, ut una manus alteri. » Sponsa in sacris Cantibus, II, 6, dicit: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.* Paulus de Palatio circa hæc verba considerat quod manus sinistra sub capite ab oculo videri non possit, bene autem dextera, que nos stringit et amplexatur; mysterium igitur in hisce verbis contentum hoc est: « Levam Sponsa non videt, videt vero dexteram; « at in læva, sunt divitiæ et gloria, scilicet tempo- « ralia. In dextera, est longitudo dierum, id est, « æternitas. Dicit ergo fidelis Sponsa, se oculos « habere totos in eternitatem defixos; divitiis vero « et honores, ut levam manum non aspicere. » S. Paulus Apostolus eo quod oculos suos in cæli ærarium defixos semel habuerat, quoniam raptus fuit usque ad tertium cælum, omne aurum totius terræ nihil pendebat, *omnia arbitror ut stercora;* quisquis oculum suum ad dexteram, id est, ad bona æterna et ad promissam eleemosynæ retributionem diligit, is semper opere ipso ostendit se nescire, nec attendere, quantum det, etiamsi eleemosyna ad millionem auri usque ascenderet: *Ignoravit sinistra ejus, quid faciat dextera ejus.* Porro Apostolus amplissimis quidem bonorum operum thesauris onustus erat, quia plus omnibus aliis laboraverat, verumtamen quia oculum suum ad dexteram, id est, ad beatam æternitatem defixum tenebat, ideo se nihil fecisse arbitrabatur, omniumque heroico-

rum operum suorum obliviscens, se pridem viam Dei incipere existimabat, *Phil.*, II, 13, 15: *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Quicumque ergo perfectus sumus, hoc sentiamus.

2. — S. Anselmus, *ibid.*, Christum per hanc sententiam illos redarguere velle existimat, qui sibi persuasum habent, quod eleemosynam dare possit, cum intentione placendi hominibus et tamen etiam apud Deum mereri queant, adeo ut per unam eandemque eleemosynam, uno eodemque tempore, et Deo, et hominibus placere velle possint: « Dextera « est amor celestium honorum, sinistra vero est « amor temporalium honorum, laudis scilicet et « cæterorum; non ergo consocietur isti amoris et « nesciat sinistra, id est, petitio humane laudis, « quid faciat dextera, id est, amor et celestium « respectus. » Paulus de Palatio, nos illas res scire dicit, quas approbamus, illas vero nos nescire putat, quas reprobamus. « Vult igitur Dominus opus nos- « trum fieri propter Deum, ut in eo nihil gustus « inveniat caro, ut cum gustet de opere, nescire « dicatur. »

3. — Theophylactus ait: « Sinistra est inanis « gloria, dextera vero eleemosyna, nesciat igitur « eleemosynam inanis gloria. » Idque perfecte consonat cum eo, quod S. Augustinus hisce verbis scribit: « Sinistra videtur significare delectationem « laudis, dextera autem significat intentionem im- « plendi præcepta divina; cum ergo conscientia « faciendi eleemosynam, miscet se appetitio laudis « humane, fit sinistra conscientia dextera, nesciat « ergo sinistra, id est, non se miscet conscientia « tue laudis humane appetitio. »

4. — Glossa per sinistram vitia intelligit: « Sinistra vitia, dextera virtutes. » Vult igitur sapientissimus Magister noster dicere, quod vanam gloriam virtutes ignorare et procul ab eis abesse decebat: « Quod ergo agit virtus, nesciat elatio. »

5. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Per sinistram « intentio perversa designatur humane laudis; per « dexteram intentio sancta implendi præcepta Dei, « ut dicit Augustinus. Unde nesciat sinistra tua, id « est, non se immisceat perversa intentio laudis, vel « inepte letitiæ, vel elationis, quod faciat dextera « tua, id est, cum præcepta Dei implere contendit. »

6. — Dionysius Carthusianus per hanc sinistram, intelligit tentationem, vel cogitationem vanitatis et complacentiæ, quæ in nos sæpe subingreditur, quando manum nostram ad charitatis opera exercenda extendere volumus: « Nesciat sinistra tua « quid faciat dextera tua, hoc est, cogitatio vana « omnino abiciatur, nec bonæ cogitationi, de qua « eleemosyna nascitur, admisceatur. » Similiter ut Beda, *ibid.*, observat, eleemosynæ meritum nunquam nobis apud Deum comparare possumus,

hæc illam manu non erogemus: « Quæ efficitur in « voluntate bona, quamvis non sit quod tribuatur « in pecunia, non in his solet sinistra operari, quæ « eam non intus sed foris faciunt. »

VERSUS 4.

Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Ut sit eleemosyna tua in abscondito.

1. — Hæc doctrina, inquit Jansenius, intelligi potest vel tanquam præceptum, vel tanquam cautela: « Si accipiatur ut præceptum, ad intentionem « referri debet, non enim præcipitur, ut omnino « secreta sit eleemosyna, sed ut intentio facientis « aliena sit ab eo, ut quærat videri ab hominibus « et quantum ad se spectat, in abscondito fiat; si « autem accipiatur ut cautela, instrumur ut nostre « infirmitati consulentes, ne obrepat in eleemosyna « vana gloria. » Estque hæc expositio conformis Glossæ a S. Thoma citatæ: « In abscondito, id « est in secreto conscientia, secundum Glossam. « In conscientia dicitur fieri eleemosyna, quando « propter Deum datur, non quia abscondatur ali- « quando ab hominibus. »

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

2. — Idem S. Thomas ait: « Videt in abscondito, « id est, qui est discretor cogitationum. »

3. — Quamnam remunerationem necdum sperare, sed et imaginari possumus majorem, quam quod Patrem æternum, operum nostrorum charitatis habeamus spectatorem pariter et remuneratorem? Lucas Brugensis ait: « Quid enim desideret « ab egenis et mendicis præstari, ad cujus spe- « candas virtutes, Rex ipse properet qui solus « coronandi tenet potestatem? et qui sua ostentare

« opera cupiat, Patri imprimis ostendet, oportet, « qui, ut est potentissimus, ita promissimus ad « remunerandum erit. » Considerandum quoque quod, ut valde ingeniose idem Auctor observat, quando de premiandis eleemosynis agitur, Christus Patri suo non Dei, sed Patris nomen attribuit: « Pater est enim, cui si modo ipsi placere student « filii, nihil prius est, quam filio bene velle. »

4. — S. Thomas, per adductam Chrysostomi auctoritatem impossibile esse asserit, quod eleemosyna, vel aliud quodcumque opus bonum, quod in occulto facimus, coram oculis mundi sit absconditum. « Impossibile est, ut opus bonum hominis, in « abscondito dimittat Deus; sed in hoc sæculo ma- « nifestat et in illo glorificat. » Idem quoque S. Doctor, ut unumquemque ad operandum, ea cum intentione, ut Deo placeat et ad solam Dei presentiam et oculos ejus, ad opus nostrum considerandum apertos, recogitandos animet et excitet, in sententiam ejusdem Chrysostomi ita subjungit: « Si vis habere inspectores eorum quæ facis, ecce « habes non solum Angelos et Archangelos, sed « Deum universorum. »

5. — Denique considerandum qualis sit operum bonorum nostrorum compensatio et præcipue pondus verbi illius, *reddet*, bene est ponderandum; in eo namque non solum insinuat, habituros non æternæ gloriæ mercedem, verum etiam motivum quoddam suggeritur, quod ad eleemosynam dandam faciles efficiamur; siquidem non obstante, quod omnia bona nature, fortunæ et gratiæ, quæ possidemus, Dei sint bona, ipse tamen se debitorem nostrum agnoscit et nominat. Certum siquidem est, quod tametsi amore Dei omnia nostra dedissemus, nihilominus dicendum nobis esset: *Inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus;* attamen Christus opera nostra ita Patri suo grata futura dicit, quod *reddet nobis*, idque per retributionem æternam.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. IV, VERS. I

1. Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.
2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.
3. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.
4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei:
6. Si Filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
7. Ait Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.